Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1299
Quelle:
Copyright:



*Dyscowe eiusdem Ord. que fecit scribi Bononie in Anno domini M° CCC. XXVI°. quicunque sibi abstulerit anathema sit. Henricum* an. 1336. etiam num in vivis egisse probat ejus electio in Vicarium gen. suae Provinciae *Brugis* in Capitulo gen. illo anno facta, id quod solum de eo notant Ordinis Bibliothecarii.

## DLXXIX.

U. 689 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 167. f. per duas columnas charactere luculento exaratus, coloribus distinctus, et legatus olim *Collegio ducali Wienne apud Fratres Predicatores* ab *Jodoco Weiler de Hailprunna* Theol. Prof. et D. *Stephani* Canonico sequentia Scholastica complectitur: I. *Quodlibet Magistri Jacobi De Esculo Ordinis Minorum.* Orditur ille: *Quia teste beato Jo. Apoc. 1. c. deus est principium et finis omnium. s. alfa et o. idcirco oratione premissa deprecabor dominum* &c. tractatque *Quaestiones* XVI. quarum Tituli ad calcem adscripti sunt, et quarum prima est: *Vtrum simplicitas diuine nature compaciatur secum aliquam distinctionem ex natura rei preuiam distinctioni personarum.* De hoc *Jabo Esculano*, sive *Asculano* agunt *Possevinus* in *Apparatu sacro*, *Waddingus* in *Scriptt. Ord. Fabricius* in *Bibl. med. Lat. Mazzuchellius* in *Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 2. unus, ut fit, ex altero; atque inde error etiam propagatus est, vixisse illum circa an. 1464. cui manifeste Codex noster Seculo integro vetustior contradicit. Ex hoc porro errore factum puto, quod *Waddingus Jacobum* nostrum cum *Jacobo Piceno*, sive *de Marchia* ὁμοχωρῷ confundat, quem a. 1476. excessisse facile credo. Ceterum *Quodlibet* scripsisse hactenus ἀνεκδοτον omnes conveniunt, idque teste *Mazzuchellio* etiam in *Patavina D. Antonii* Bibliotheca servatur.

II. *fol.* 33. praevio *Quaestionum* XXI. Elencho sequitur *Quodlibet Job. Duns*, sive *Scoti* O. M. Doctoris *Subtilis*, de quo saepius dictum est. Ejus initium est: *Cuncte res difficiles. ait salomon eccles. 1. et cur intelligat eas esse difficiles subdit* &c. Finis: *Per hoc solute sunt rationes*, ubi in edit. Opp. omn. Lugd. 1639. T. XII. p. 544. f. legitur: *Et sic patet ad rationes.* Clausula est: *Explicit quodlibet magistri Johannis scoti de ordine fratrum minorum. Quaestiones* hae *Quodlibetales*, quas *Waddingus* editor in *Praef. T. cit.* Opus pretiosissimum et medullam Doctrinae *Scoti* vocat, mature typis exceptae sunt, ut vel mihi Editio per *Albert. Stendal* 1474. et *Venetae* 1481. et 97. f. adjaceant.

III. *fol.* 97. *Quodlibet Alexandri. Alensem* putares, et ita quidem scriptum erat in *fol.* Codici praevio: *Quodlibet Alexandri de Hales;* verùm peritior Manus superinduxit: *de Alexandria.* Habemus igitur rarissimas *Quaestiones Quodlibetales Alexandri* dicti a loco natali *de Alexandria*, electi a 1313.